

§. 3. Mittimus Nomen ; atq; Definitionem Parelii perpendimus. Eum autem ita cum *B. Sperlingio in Instit. Phys. L. 8. c. 10.* definimus : esse *Meteororum Emphaticum ex Solis specie, receptum in nube æquali, splendida, continuâ, (densâq;) genitum, ut duo, vel plures Soles in aere esse videantur.* Genus est *Meteororum.* Id enim est Parelius non tantum ob locum, quem occupat, sublimem, ubi est amplissimum Meteororum regnum : sed etiam quia *Meteororum definitio* ei competit. Est enim Parelius effluviarum (aqueorum) affectio. Unde patet, nos alienos esse ab eorum sententia, qui cum Sagittario Parelium ex classe Meteororum excludunt, hâc ratione moti, *quoniam Parelius non est corpus naturale, sed nuda tantum ἐμφασις, atq; inanis species.* Quæ verò sententia, cum Autores isti, *Meteora corpora esse naturalia* dicitent, suâ sponte concidit. In specie verò *Emphaticum* nominamus, quò additamentò Genus h. l. velut in cardine suo verti debet. Non enim reale solidumvé, ceu apparet, corpus Solis obtinet, sed hujus tantum simulacrum, aut *Φαινόμενον*; non quidem in significato hujus vocis *participiali seu adjectivo, sed nominali atq; substanciali*: priori enim modò etiam de Hypostaticis vulgò usurpari solet.

§. 4. Explicavimus *Genus*; sequitur *Differentia.* Hæc *conjunctim* naturam Parelii exponit per Causas tum Internas, *Materiam & Formam*; tum Externas, *Efficientem & Finem.* *Efficiens Parelii causa principalis Deus est.* Non verò immediatè; sed præsentè, quemadmodum ordinavit, *Causa secunda sive naturali,* quæ h. l. vel *Proxima* est, vel *Remota Remotam,* quæ vi suâ caloricâ in Sublunaribus vehementer operetur, effluviaq; aquea è terra mirabiliter deducat, quæ materiam Parelio offerre possint, *Ignem & Calorem subterraneum esse, halitus varios creantes, ipsosq; ab usq; terrenis visceribus sursum emittentes,* *Gassendus de Meteor. cap. 2.* credit. Qui quidem globum terrenum instar magni cujusdam animalis se habere concipit, in cujus visceribus vigeat ac ferveat calor, à quo per varios ductus ac meatus per venas quasi, humores (effluvia) undiq; transmittantur. *Conf. etiam Kircher Mund. Subterr. Tom 1. Lib. 4. Sect. 1. c. 3. Sect. 2. c. 10. aliq;.* Verum nos hanc *Sideribus potius, Luna, Veneri, Piscibus, Plejadibus ac Hyadibus,* quæ permultum ad efficienda Meteora aquea conferunt, virtutem